

**כַּאֲמוֹנְךָ** in veritate tua: ) ita *Vulgatus & Montanus*: in deiner Wahrheit. propter veritatem tuam, *Pagninus*; propter fidem tuam, *Piscator*; pro fide tua, *Junius*; pro optimâ fide & æquitate tuâ, *Campensis*. *Lutherus*: um deiner Wahrheit willen: prius: um deines Glaubens willen. h. e. ne veritas tua periclitetur forte, ac si promissa tua de precum nostrarum exauditione minus essent valida. Confer *Psal. LXXXIX, 49.* jurasti Davidi **כַּאֲמוֹנְךָ** & *vers. 34.* gratiam meam haut auferam ab eô, neque **בְּאֲמוֹנְךָ** mentiar contra veritatem meam: *vers. 9.* veritas tua circa te *Psal. XXXVI, 7.* veritas tua ad nubes usque. *R. Arama* apud *Viccarium* **כַּאֲמוֹנְךָ** *ob fidem, quâ ego credo in te*: qua ratione affixum designaret fidei non subiectum, sed objectum: verum id insolentius. Non male *Coccejus*, accentuum ratione habitâ: in veritate tuâ responde mihi in iustitia tuâ, h. e. propter veritatem promissorum tuorum responde mihi in iustitiâ tuâ, quâ propter pactum in Mesfiâ absolvis & justè condonas delicta deprecantibus.

**עֲנֵי** exaudi me: ) vel clamandi mihi gratiose responde: siquidem **עֲנֵי** idem est ac *Respondit*. vide *Psal. CII, 3. CXIX, 145.*

**בְּצַדִּיקָךָ** propter iustitiam tuam: ] juxta quam videlicet erga indigos depressosque te exhibere soles propitium ac defensorem, erga elatos autem protervosque peccatores severum rigidumque iudicem. Item, quâ non frustrari soles piorum vota atque preces, in Mesfiâ, qui est *Jehova iustitia nostra*, fundatas. Nimirum *iustitia* hic accipienda non de rigidâ præmiorum pœnarumq; compensatione secundum facta antecedentia; (cur enim mox deprecaretur David *vers. 2.* ne ingrediaris cum servô tuô in iudicium?) sed pro æquitate quâdam generaliori, quâ indigis succurritur, vel potius pro beneficiâ, cujusmodi acceptionem vidimus *Psal. CXII, 9.* disperfit, dedit pauperibus, iustitia ipsius perstat in seculum. Alias idem hoc vocabulum designare etiam solet *fidem* seu *constantiam* in servandis promissis; quod manifestum est ex *Psal. V, 9. VII, 18. XXII, 32. XXXI, 2. CIII, 17. CXIX, 40.* idem infra in hóc ipsô psalmô *vers. 11.* Verum cum modo præcesserit *Veritas*, discriminis loco *iustitiam* accipere licebit de æquiore erga miseros indigentes animo seu beneficiâ. Unde *Campensis*: quam (fidem) semper habes cum summâ clementiâ conjunctam.

#### EXPLICATIO VERSUS II.

**לֹא תִּיָּחַדְנָה** ne ingrediaris in iudicium: ) h. e. ne rigide meam examines naturam, vitam, facta, dicta, cogitata, quæque aut commisi aut omisi, prout fieri solet in judicialibus procesibus ubi interreorum opera operumque pœnas accurata attendi debet proportio. Confer *Job. XXII, 4.* num veniet tecum in iudicium? Eodem autem textu hoc vitam finiebat *Carolus V.* (*Zingref. part. 2. apoph. p. 11.*) & *Franciscus Valesius Gallix Rex* plus centies dictum hoc repetiit moriturus. Plures huiusmodi sanctorum confessiones de operum bonorum imperfectione, contra *Papistarum* præsumptionem, affert *Gerhard. tom. 4. LL, p. 87. §. 66.* De phrasi: venire in iudicium videlicet instar accusatoris rigidi, quomodo differat ab alterâ, *iudicare* seu *vindicare aliquem*, (instar patroni) vide *Druf. lib. 1. miscell. c. 59.*

**אֲנִי עִבְדְּךָ** cum servo tuo: ) i. e. mecum, qui servus tuus sum, adeoque eo ipso, dum ad tuam pertineo familiam, (non ad hostium tuorum factiosa consortia,) facilius tuum mihi polliceor favorem atque gratiam, ut qui sciam, te non tyrannice, sed paterne tuas gubernare creaturas, ecclesiæque imprimis membra. Similis positio nominis huius locô *pronomini primæ personæ* occurrit *Psal. XIX, 12.* etiam servus tuus (i. e. ego) illinc emendatur: *Psal. XXVII, 9.* ne in irâ tuâ abjicias servum tuum, i. e. me; *Psal. XXXI, 17.* illumina vultum tuum super servum tuum. Item *Psal. CXIX, 17. 23. 65. 84. 122. 124. 176. CXXXII, 10.* Simul verò tum *servum se Dei* vocat David, & sub istô respectu in iudicium protrahi reformidat, innuere voluit, etiam se, quâ Deo servavit in statu gratiæ, viribusque cœlitus datis, legitamen divinæ non respondere &c. vide *Danbauer. hodof. p. (698.) 948. seq. id, quod Lindani aliorumque argutiis obvertendum, dum de justificatione primâ hic agi censent, non secundâ.* Confer *Chamier. tom. 3. panstr. l. XI, c. 12. §. 2. seqq.*

**כִּי** quia: ) ratio illationis est hæc; qui se ex numero in iustorum sponte profitetur, cum eô non soles strictô jure agere aut congregari: atqui ego me &c. E. Item, quod in nullius hominis situm est viribus, id tu, benigne Pater inque Mesfiâ placande, à me non exiges rigide: atqui justificari coram te in nullius &c. Ergò. Patet hinc, non declinari à Davide iudicium præsentis saltem afflictionum tempore, (uti volunt *Muis, Kimchi, &c.*) q. d. ne NUNC mecum disceptes, ubi jamjam satis adest ærumnarum; verum cum ratio hæc sit perennis, perennem etiam sibi immunitatem à rigido Dei throno exoptat tum David, tum piis omnes, *Psal. XXXII, 6.*

**יִצְרָק** justificabitur: ) vel justus deprehenditur, aut tanquam omnis vitii expers aut innocens absolvitur. Confer *Job. IX, 2. XV, 14. XXV, 4.* quomodo יִצְרָק homo cum (vel coram) Deo? *cap. IV, 17.* num homo præ Deo יִצְרָק *Psal. CXXX, 2.* si peccata imputaveris, &c. *Rom. III, 23.* omnes destituimur &c. De significato forensi huius verbi, qui etiam omnino hic loci obtinet, vide *Coppen. b. l. contra Pontif. ubi Bellarminum refellit*, ac si peccata venialia impediunt, quo minus justificemur; cum tamen ex ipsorum sententiâ venialia mortem seu condemnationem non inferant &c. De forensi etiam hac acceptione vide *Gerhard. tom. 3. de justif. p. 666.*

**לְפָנֶיךָ** coram te: ) ut ut scilicet coram humano sæpius obtinere quis possit iudicio aut foro, ob causâ unius alteriusve probitatem, non tamen ulli tale quid contingit coram Deo, ut cui interiora patent omnia, qui non externum solum examinat opus, sed internam quoque mentis intentionem, affectûs intercurrentes, & quæ alia misere nonnunquam contaminant opus, quoad externam speciem valde etiam bonum. *Papistæ* quidam hoc referunt ad Dei essentiam, ac si homo in relatione ad illam nequeat esse justus. Verum iustitia essentialis ac divina à nobis nusquam in Lege requiritur. Alias *Papistarum* exceptiones refutatas vide *tom. 4. conf. catb. Gerhardi pag. 806. seq. & tom. 3. de lege p. 196. seqq. item tom. 4. de B. O. p. 88. §. 66.* adde etiam *Hakspan. ann. b. l.*

**וְאֵין כָּל** omnis vivens: ) i. e. nemo viventium coram te penitus est irreprehensibilis. Alias non

Kkkkk 3

omnis